

1/
19
2.
3.
4.
5.
6.
7.



1736.

1. 19^{to} Berger, Theodorus: De successione in
fundum apertum expectantia promissum. 2. Facult.
2. Cramerus, Joh. Ulrichus: Programma, de argumento
apostoli Pauli: $\epsilon\lambda\ \sigma\epsilon\ \tau\epsilon\ \kappa\upsilon\delta\ \kappa\alpha\iota\ \kappa\alpha\mu\sigma\upsilon\upsilon\gamma\alpha\iota$
nec filiarum, nec filiorum secundum legitimum a suc-
cessione parentum exclusioni obstante, quo
prose lectiones. . . intimantur.
3. Cramerus, Joh. Ulrichus: De aestimatione injuriae
sive communi illatae. Programma, . . . quo
lectiones intimantur
4. Cramerus, Joh. Ulrichus: De renunciationibus
filiarum, clausulis successione reservationis,
harumque valore et successione Haereditaria.
5. Cramerus, Joh. Ulrichus: De jure circa sacra
collegiali et majestatico.
6. Cramerus, Joh. Ulrichus: De juramento in litem
affectionis et veritatis.
7. Homburgk, Joh. Frits: De usuris in contractibus
stricti juris secundum recentem deputationem de anno
1600 & 139.

1736.

8. Jansch, Th. Pet. Hin. de: De vera veri attedie
indole et natura

9^a, 6^a, c^a Waltschmitt, Jo. Wilhelm: De probatione per
diplomatica 3 Sumpt.

1737.

1. Camerus, Joh. Ulricus: De praesumptione pro
jure Romano contra mores antiquos Germanorum.
Programms, quo praedictiones publicae et privatae
rationantur.

2. Camerus, Joh. Ulricus: De jurisdictione prorogata


3. Camerus, Joh. Ulricus: De impossibili possessionis
in diem traditione symbolica.

4. Vogelsey, Amittius David: De fide instrumenti per
contrarium scripturam evertenda.



1737
1. General der Provinz
für die Provinz
2. General der Provinz
3. General der Provinz
4. General der Provinz
5. General der Provinz
6. General der Provinz
7. General der Provinz
8. General der Provinz
9. General der Provinz
10. General der Provinz





F. O. num. 15.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

DE
SUCCESSIONE
IN

FEVDVM APERTVM
EXPECTANTIA PROMISSVM.

QVAM
SYMMO FAVENTE NUMINE
SVB AVSPICIIS

ACADEMIE RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

P. 339.

DN. FRIDERICI,

HASSIAE LANDGRAVII, RELIQ.
AVCTORITATE & DECRETO

INCLVTI JURISCONSVLTORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI VNIVERSITATE MARBVRGENSI

PRO GRADV DOCTORIS

SYMMSQVE IN VTROQVE JVRE HONORIBVS ET PRI-
VILEGIIS RITE OBTINENDIS

MAGNIFICI SENATVS ACADEMICI
EXAMINI PVBLICO

AD DIEM XXVII. FEBRVAR. A. CIS MDCC XXXVI.
SVBMITTIT

M. THEODORVS BERGER,

LAVTERA - FRANCVS,
DESIGNATVS P. P. O. JVR. ET HISTOR. IN GYMNAS.
ACADEM. COBVRGENSI.

MARBVRGI CATTORVM, APVD PHIL. CASIMIR. MÜLLERVM.





COROLLARIA


I.

Clausula Codicillaris in omni Testamento in dubio subintelligi, & voluntas testatoris talis præsumi debet, voluisse eum in subsidium codicillos facere, licet hoc non expresserit,

II.

In dubio: an permutatio aut emptio venditio celebrata sit, ratio a potiori vel re vel pecunia dijudicanda est; ubi ergo plus pecuniæ quam rei datum, non permutatio, sed emptio venditio dicenda. Nec

III.



III.

In contrahentium potestate est, emtionem venditionem dicere permutationem, quando pretium alterum tantum excedit fundum permutandum.

IV.

Historia Johannis VIII. Papissæ fabulam sapit.




II

In contractuum potestate est
emissionem venditionem dicere per
motum . quando pretium al
terum tantum excedit fundum per
mutandum

IV

Historia Johannis VIII. Papae
fabulae spic





FACULTATIS JURIDICÆ

DECANVS

JOH. FRIDERICVS
HOMBERGK zu Bach/

J. V. D. & P. P. ORD.


L B S.



habent hoc negotia quæ factis hominum introducuntur, ut plerumque novis accessionibus et inventis, prout necessitates & utilitates humanae postulant, augeri, extendi atque ab alio in aliud mutari & transformari soleant. Nec raro contingit, ut uno introducto novæ exinde formæ & causarum figuræ exoriantur. Evidens hujus rei exemplum præbent *Bella*. Hæc enim *feuda* occasionem dedisse notius est quam ut multis ostendi debeat; cum *feuda* invaluisse, variæ eorum species exco-

):(

gitata



gitata sunt. Inventa deinde est *Expectativarum* concedendarum ratio; quæ novam iterum materiam præbuit Legislatoribus, ut ex utilitate forte publica vel etiam pro arbitrio suo eas fingerent atque formarent; accedunt porro & *consuetudines locorum*, pacta Dominorum cum Vasallis, Recessus Illustrium familiarum, quibus jura circa illas expectativas varie determinantur. Tandem ex variis hominum factis, idque sæpius præter opinionem, novi exoriuntur casus, quorum difficilis admodum existit dijudicatio. De *Succeffione in feudum apertum expectantia promissum* præsentis Disputatione Inaugurali agit *Prænobiliss. & Consultiss.* Dn. M. THEODORVS BERGER, *Lautera—Francus, Juris & Histor. in Gymnas. Coburgensi designatus P. P. O.* ex qua facile intelligere licet, quid in materia expectativarum valeant Pacta Domus & observantia Curiae feudalis. Ac nobis quidem hac occasione, de iis quæ ad naturam & effectus expectativarum intelligendam faciunt, quadam differere, & alium casum, ei quem *Disputatio Inauguralis* exhibet, oppositum examinare animus erat. At cum hæc res prolixiorem tractationem desideret, & temporis quoque habenda sit ratio, placuit quæstionem illam: An & quando expectativa in Jure Feudali pro licitis habenda sint paucis perpendere. Non satis quippe expedita hæc quæstio videri potest, Nam Textus illius Juris varie loquuntur: creditur etiam ratio Juris Civilis, quæ

vult


vult ut de hæreditate tertii viventis nisi certo in casu pacifici non liceat, obstare. Igitur, *in cap. si quis, quo temp. mil.* cautum est: *Si quis fecerit investituram, de beneficio sui militis, sine illius consensu, pro non facto habeatur.* Et *in cap. un. qui successor. teneantur*, legimus: *Si quis investitus pure de alieno feudo, non valet habitare investitura.* Vnde plurimi DD. quorum sententia communis esse dicitur, concludunt: Dominum exceptione nullitatis, contra eum, cui concessa est *expectativa* se defendere posse, si feudum postea aperiatur, neque concessionem illam unquam convalescere. In eo vero communiter consentiunt, quod *expectativam* in feudum alterius concedere liceat, sub conditione, *si illud aperiatur*, vel *in diem*, vel, *si possessor consentiat*, per c. I. *de success. feud. c. un. qui success. teneantur*, c. I. d. *feud. dat. in vic. L. Commiss.* Et ne quid dissimulemus, sunt etiam qui concessionem pure factam mortuo possessore convalescere censent, ita ut Dominus vel hæredes ejus eam adimplere cogatur. In hac sententia fuit BALDVS, JACOB. d. BELVISO & alii ad d. *Tr. qui success. teneantur*. Pro inepta quidem habenda non est responsio ad dd. textus, illorum qui dicunt, eos ita intelligendos esse, quod scil. investitura pure facta non valeat, si facta sit in præjudicium Vasalli possessoris: Nam aperte confirmatur illa interpretatio per c. I. *de feud. dat. in vic. L. Comm.* ubi hic, de quo agimus, casus habetur, & pri-

): (2
mum

mum sententia *Placentinorum* refertur, qui prorsus asseruisse dicuntur; non aliter valere investituram, nisi consentiente eo cujus erat feudum. Deinde, sententia *Mediolanensium* & *Cremonensium* exponitur, qui nihil distare asseverarunt, utrum sciente vel ignorante *Vassallo*, dummodo eo viveute nullum detrimentum de feudo suo sibi contingat. Cum itaque sententia illa, quæ posteriore loco refertur, in textibus feudalibus pro vera & approbata haberi soleat, & hæc commodum satis & rationi convenientem sensum, illorum textuum qui investituram valere negant, exhibeat, rationem certe sufficientem adesse quis crederet, ob quam ex hoc textu illos explicandos esse statuendum sit. Quominus autem hæc interpretatio recipienda sit, facit *d. c. I. qui success. teneantur*. In hoc quippe, investitura pure facta, opponitur illi quæ facta est sub *conditione vel in diem*: & hæc ut *valida* admittitur, illa vero simpliciter *valere negatur*. Aperte igitur hic docemur, Jure Feudali expectativas pure factas pro *illicitis*, reliquas vero quas diximus, pro *licitis* habitas: rationem etiam, quæ nos movere debeat ad hanc sententiam amplectendam, quærendam esse in disertis hujus textus verbis, utpote quæ aliam interpretationem non admittunt, sed perspicue declarant, quæ expectativæ valeant, & quæ non. Nam si investituras pure factas ita accipi voluissent, Juris Feudalis Autores antiqui, ut illi volunt, non potuissent quasdam

dam pro illicitis habere, sed omnes indistincte probassent. Non ergo ob generalitatem textuum illorum, quos supra primo loco allegavimus, (qua ratione semotum ait ROSENTHAL. c. 4. concl. 9.) in hanc sententiam trahi nos patiemur. Quod si etiam de ratione quaeratur, cur expectativa pure concedi nequeat, consistit illa in eo, quod feudum, quod Vasallus habet, ei jure auferri nequeat, quæ ratio cessat in reliquis concessionibus. Votum captandæ mortis quod expectativæ in universum inducere videntur, eas injustas non reddit; non debet enim hoc trahi ad pacta, quibus Dominus de re sua, vel quæ ad se aliquando reditura est, disponit, cum nemo dubitet, quin mortis causa alteri donare, vel fideicommissio relinquere, quid liceat, qua de re vid. H. PISTOR. Lib. 2. q. 25. n. 4. & mult. seqq. Habet quoque Votum illud locum in ipsa etiam investitura sub conditione concessa, imo & si consentiat possessor Vasallus, quæ tamen improbata non sunt, sed permissa. Verum his missis ad vitæ curriculum a Prænobilissimo & Consultissimo Dn. Candidato nobis exhibitum, nunc veniendum est.


Natus est Ille Lauteræ prope Coburgum in Franconia superiori Seculo vergente: Patrem habuit Virum Plurimum Reverendum, JOHANN. GEORG. BERGER, Pastorem de Ecclesia patria, per triginta




& plures annos, optime meritum. Mater ejus fuit, ANNA MARGARETHA ex SEELMANNIANA FAMILIA, Patre, olim Archidiacono ac Seniore ad D. Mauritii Ædem apud Coburgenses fidelissimo ac gravissimo, nata. In tenera ætate, ab ipsomet primum Parente primis literarum elementis imbutus fuit; deinde quamprimum per ætatem licuit, ut in iisdem proficeret, in publicam quæ Eisfeldiæ floret, scholam missus, optimorum Præceptorum KIRSTENPFADII, *tum temporis Rectoris & Adjuncti nunc Diæceseos Vomerstadiensis*, ut & *Summe Venerandi B. KOBII, Pastoris, nec non circumjacentis tractus Superintendentis meritissimi*, cujus memoria ipsi nunquam non sacra futura est, institutione solida in elegantioribus literis usus est. Post jussu Parentis reversus in Patriam, frequentavit florentissimum Gymnasium CASIMIRIANVM, atque in altioribus ibi disciplinis profecit. Doctores coluit CYPRIANVM, magni nominis Virum, *tunc temporis Directorem gravissimum*, quem Gotham ad Regimen Ecclesiasticum vocatum D. O. M. in salutem non solum Gothanæ sed & universæ Ecclesiæ Evangelicæ quam diutissime superstitem esse jubeat; item STEMPELIVM, GIHNLENIVM, (post cujus obitum Professio Juris & Historiarum, quam ille sustinuit, Consultis. Dn. Candidato nunc demandata est,) COLERVM, VERPORTENIVM, aliosque. His Doctoribus ali-



aliquandiu usus Halam Saxonum, celebrem illam bonarum artium sedem se contulit, & inter cives Academicos a Rectore tum temporis Magnifico SPERLETTE, benevole receptus, Lectionibus Philosophicis B. SCHNEIDERI, KEMMERICHII, nunc Profefs. Publ. Jur. in Acad. Jenensi Excellentissimi, interfuit, ac linguis Orientalibus ductu Professoris MICHAELIS, operam quidem impendit, cum Pater ejus studiis sacris eum destinasset; hoc vero orbatus, studium Juris, in quod animus ejus semper pronior fuerat, amplexus est, Patre mitissimo, consilium hoc ante obitum suum probante. Igitur Lectiones tam publicas quam privatas Illustrum Jurisconsultorum & Historicorum STRYCKIORVM, THOMASII, GVDLINGII & LVDEWIGII frequentavit & Studium Jurisprudentiæ, juncto tamen Studio Historiarum & Philosophiæ, Lipsiæ deinceps, quò se receperat, continuavit. Paulo post, cum duo Generosissimi Equites Marchici de BREDOW fidei ejus essent concrediti, per annum Servestæ Anhaltinorum moratus, rediit Lipsiam, ibidemque per tres annos & ultra, hospitio ac victu, usus est magni Theologi RECHENBERGII, cujus memoriam in Illustri Filio, Ordinario Facultatis Juridicæ gravissimo, ætatem devenerabitur. Lipsiæ igitur Jurisprudentiam ceteraque elegantiorum literarum Studia porro excoluit
Consultissimus Dn. Candidatus, auscultando MENCCKENIOS



NIOS, LVDERVM & JOH. BVRCHARDVM, TITIVM, ac imprimis SCHOENIVM, *Professorem nunc Celeberrimum*, quem perpetuo honoris cultu veneratur, cum illi maxime omnem Juris Scientiam quam acquisivit, se debere intelligat; utpote qui solus, post *Magnifici TITII* obitum, jura ad illius methodum ac mentem docuerit. Præcepta ad Praxin facientia a RIVINO, *Excellentissimo jam Professore*, hausit. Medio deinde Studiorum cursu ab Inclyta Facultate Philosophica Lipsiensi Lauream Philosophicam petiit, quam anno hujus Seculi XII. adeptus est. Ut autem Docentium quoque Jura in eadem Facultate obtineret, Dissertationem *de Prudentia apodemica, von der Klugheit wohl zu reisen* conscripsit, eamque ut Præses publice defendit. Hoc quidem argumentum, eum in finem felegerat, ut feliciore Successu peregrinationes, cum supra laudatis Nobilibus Marchicis suscipere posset; Sed cum hoc propositum exitu caruisset, Nobiles illos Juvenes Parentibus suis reddidit, & PHILYRAEAM *Lipsiensem* refalutavit, ibique tempus studiosæ Juventuti Scholas Philosophicas, & imprimis Historicas & Geographicas aperiendo consumit. Eodem quoque tempore, Librum qui *Curiaeser Hoffmeister* inscribitur, & notitiam terrarum Historico - Geographicam continet, binis subsecutis vicibus emendatum & auctum edidit. Ut autem ex Jurisprudentiæ Studio fructum
ube-




uberiorem perciperet, ad Tentamen Lege publica
praescriptum, ab Illustri Jurisconsultorum Ordine
Lipsiensi Anno M DCC XXII. admissus, & Exa-
mine peracto dignus judicatus fuit, qui Advocati mu-
nus obtineret; Impetrato itaque a Facultate Juridica
testimonio, eoque in Summo POTENTISSIMI
REGIS POLONIAE ET SERENISSI-
MI ELECTORIS SAXONIAE
REGIMINIS DRESDENSIS SENATU
producto, ad alterum Specimen, Relationem nem-
pe ex Actis conficiendam, admissus, praestito prius
juramento in numerum Advocatorum admissus est.
Inter medios itaque Fori strepitus, privatis Collegiis
Historiam docuit; & cum observasset, Historiam Vni-
versalem feliciori Methodo tradi haud posse quam
Synchronistica, ad eam afferendam, Dissertationem,
de Historia Vniuersali per Synchronismum tractanda, an-
no M DCC XXVIII. habuit; Historiam deinceps ipsam,
sub titulo *Synchronistische Vniuersal-Historie*, sequen-
ti anno ab ipso editam, ejusque serie ab aetate CARO-
LI MAGNI ad annum M DCC XXIX. perducta.
Praeterea rogatus emendavit Librum, *Durchlauchtige
Welt*, nuncupatum, eumque ad praesens usque tem-
pus continuauit, ut alia minora opuscula praetereamus.
Cum vero rursus ut morum & studiorum *Liberi Ba-
ronis*



ronis AB HVTTEN curam suscipere, rogatus esset, simulque certior peregrinationis, cujus desiderio animus ejus semper flagraverat, spes fieret, non recusavit hoc munus & obtinuit quoque. Itaque peracto Studiorum Academicorum cursu cum dicto *Barone*, ingressus est iter, & perlustratis Germaniæ Principum aulis præcipuis, præsertim Dresdensi & Berolinensi, totum fere annum Viennæ commoratus, inde in Italiam & Galliam profectus, per Bataviam in patriam feliciter reversus est. Posthæc cum Lipsiam esset reversus, eo animo, ut ad idem quod antehac ibi egerat, vitæ genus, docendo nempe & causas in Foro agendo redderet, nova morum atque studiorum præfectura, ipsi oblata fuit, apud ILLUSTRISSIMUM COMITEM GOERZIVM, SCLITZAE DYNASTAM, ut FILII ejus Primogeniti vitam & studia regeret, eo quod plurimum Nobilium Illustrique loco natorum, qui nunc Honoribus & Dignitatibus amplissimis fulgeant, rebus felici cum successu præfuisset. Hoc EPHORI munus eo lubentius suscepit, quod in Hoc *Illustrissimi VIRI FILIO* Generosissimo, cujus in Familia Jus Primogenituræ introductum est, Spes & Salus Patriæ posita sit. Anno vero vix peracto, vocatus tandem est in Patriam, ad Professionem Juris & Historiarum: Quod munus ut rite obire posset, de Summis in Viroque Jure Honoribus consequendis SIBI cogitandum esse vidit.



vidit. Eam ob causam *Facultatem Juridicam* adiit, & exhibita Disputatione doctissima, cujus supra mentionem fecimus, petiit, ut ad consueta Candidatorum Examina admitteretur: Petito ejus non defuit Incluta Facultas, sed Textum ex Jure Civili ex l. 68. ff. de *Rei Vindic.* ex Jure Canonico vero ex c. 5. X. d. *caus. poss. & propriet.* resolvendos dedit. Hos cum docte satis & solide resolvisset, ex *Facultatis Juridicæ* Decreto & omnium PROCERVVM ACADEMICORVM Consensu, dignissimus judicatus fuit, cui Disputatione publice habita, Summi in Vtroque Jure Honores conferrentur. Dabam Marburgi Cattorum, die XXVII. Februarii, Anno M DCC XXXVI.





DISSERTATIO JURIDICA
 INAUGVRALIS,
 DE
SVCCESSIONE
 IN
FEVDVM APERTVM
 EXPECTANTIA PROMISSVM

§. I.



ape, quæ speramus non eveniunt, & eveniunt, quæ non speramus. Genus degendæ vitæ, quod hæctenus mihi constitueram, nullam vel exiguam mihi spem fecit occasionis, qua cogitandum esset aliquando, de capeffendis summis in Vtroque Jure honoribus: & tamen improvisum inopinatumque hoc mihi accidit, ut

A vel

vel serius cogitationem ea in re figendam esse cognoscam. Hinc in seligendo themate inaugurali non diu hæsitavi, sed illud arripui statim, quod primum occurrit. Et istud quidem, quod se obtulit argumentum, satis illustre mihi videtur ac disquisitione dignum. Nuper enim aliqua Juris Feudalis controversia mihi fuit proposita, ut meam de illa sententiam dicerem.

§. II.

Scilicet est Dominus directus, in cujus Serenissima Domo servatur Recessus, ubi disertis verbis cautum: *Wenn sich die Eröffnung des Lehnstückes oder Güter, darauf jemand expectiviret, bey des ersten Acquirenten oder Expectivirten oder dessen Soehne Leben nicht begiebet, alsdenn solche Expectantien weiter nicht gültig seyn sollen.* Data est alicui in feudum, si apertum fuerit, expectativa. a) Moritur expectans. Reliquit ille

a) Expectantia est *actus*, quo Dominus feudum, si sibi apertum fuerit, se alii esse daturum promittit; TITIVS Jur. Priv. L. XI. c. 6. §. 9. p. m. 14c9. Alias etiam accipitur pro *jure succedendi* in feudum, a Domino sub conditione, si ad ipsum redierit, promissum. II. F. 26. §. 2. I. F. 3. et II. F. 35. STRUV. synragm. Jur. Feud. c. VII. §. 6. Prior definitio desumpta est a *Cassia effici-*

ille superstites unum filium & ex altero filio nepotem. Contingit post mortem expectantis apertura Feudi. Quaritur (I.) An Feudum post mortem acquirentis seu ejus, qui expectativam impetraverat, apertum, acquirant filius & nepos simul, an vero filius solus excluso primi acquirentis nepote? (II.) An, si primo expectanti vivo apertum est Feudum, natumque jus personale ad istud perendum efficax: filius feudum suo tempore ad se devolutum post mortem in suos deinceps filios transmittat?

§. III.

Si successionem in Feudum expectantia quaesitum ex communibus pactorum principiis, non ex sanctione illa speciali aestimare velis, expectans vi pacti jus personale sibi competens in heredes habiles transmittit, juxta consuetum in Feudis succedendi ordinem. Quando adsunt filii soli, hi ceteros descendentes excludunt. b) Quando filii et ex defunctis filiis nepotes concurrunt, tunc nepotes jure representationis

A 2 nis

efficiente, posterior ab objecto et actus illius consensualis effectu. Germanice dicitur: Geding, LEHNRECHT c. 7. & 57. Expectantz, Angefall, Anwartschaft, Gnaden-Lehn, ausgebeten Lehn. BESOLD. thes. pract. voc. Gedinge.

b) I. F. 1. §. 1.

nis in partem stirpis suæ admittuntur. *c)* Quando soli nepotes alique remotioris gradus existunt, tunc nepotes, si nemo ex iis deficiat, remotiores excludunt; si ex diversis filiis nati sunt, in stirpes succedunt. *d)* Si vero ex nepotibus aliquis defecerit, ejus descendentes si adsint, partem illius, jure representationis accipiunt. *e)* Illa succedendi ratio in cæteris descendentiis in infinitum obtinet. *f)* Hactenus igitur non opus est illa, quam propositæ quæstiones urgent, distinctione, utrum vel expectante vel ejus filiis viventibus Feudum fiat apertum nec ne. Nam jus personale, ut ex aliis pactis, sic etiam ex hac promissione in heredes, modo ad consummandum sint habiles, transit. *g)*

§. IV.

Nunc quod ad primam quæstionem ex laudato Receptu decidendam: in Serenissimi Principis Cancellaria, in qua literæ expectativæ, de quibus jam sermo est, connectæ sunt, observantia viget: *quod expectati-*

c) I. F. 8.*d)* I. F. 8.*e)* Nov. 118. c. 1.*f)* CARPZ. P. 3. c. 29. d. 15. SCHULTZ synops. Jur. Feud. c. 8. n. 33. 35. STRVV. S. J. F. c. 9. §. 5. TITIVS Jur. Priv. L. XI. c. 25. §. 17. p. m. 1466.*g)* TITIVS l. c. §. 13. p. m. 1464.

Patroæ, licet literis generalissimis ac indefinitis hunc in modum concipiantur: wir N. N. bekennen, daß wir dem N. N. und dessen absteigenden Ehemännlichen Leibes- und Lebens-Erben wegen — — auf ein Adelig Gut wollen expectivirt und beantwortet haben &c.

tamen non nisi de primi acquirentis filiis intelligendæ sint, atque sic primus tantum gradus, non vero secundus aut ulterior in Feudo aperto per expectativam acquirendo fit admittendus. Eum in finem provocari solet ad antea dictum Recessum, vi cuius expectantiæ, si Feudam, quod expectanti promissum est, non aperiatur, vivis adhuc vel primo expectante vel ejusdem filiis, expirari debent. *b)* Hinc fuerunt magni nominis Icti, qui ex hoc Recessu dictam observantiam omnino corroborare satagunt, quod in supposito casu, ubi primus acquirens mortuus, ac non nisi unicum filium, cum alterius tamen fratris itidem demortui filio, seu patris nepote reliquerit, superstes filius Feudum jamjam apertum, solus acquirat, ac fratris præ-

A 3

defun-

b) Nam in Legislatoris et Domini directi beneficium concedentis arbitrio positum est restringere successionis jura ad primum, sextum, aut quemcunque alium gradum, citra cujusquam injuriam. An vero in casu presentis questionis talis restrictio facta sit, deinceps videbimus.

defuncti filium excludat, idque non ideo, quod ipse in proximiori gradu, nepos in remotiori existat, sed quia non tam jure in se transmissio, quam proprio succedat. Ita enim dictam observantiam seu Recessum interpretantur, ac si omnes ejusmodi expectativa ad patrem & filium restringendæ, verbaque literarum expectatarum sic essent concepta. *Wir expectiviren ihn und seine Söhne primi gradus, weiter aber niemanden,* atque hac ratione filius patri superstes Feudum apertum non jure per patrem in se devoluto, sed proprio acquireret.

§. V.

Ex illa hypothese altera etiam *questio* facile deciditur. Nam si verum est, quod in dicto Recessu expectativa restringatur ad primum expectantem & ejus filios, verum etiam est, quod post filiorum mortem Feudum ad illorum liberos non transeat, licet vivente primi acquirentis filio Feudum, quod expectabatur, factum sit apertum. Cui interpretationi, si in Curia Feudali praxis accesserit reipsa, talismodi casus extiterit, ac Feudum apertum soli superstiti filio, excluso nepote datum, nec illius, qui reipsa Feudum acquisivit, morte, ad ejus filium, primi acquirentis nepotem transmissum fuerit, tum res ulteriori inquisitione non

non indiget. Sic enim sententia laudati Re-
cessus interpretatione authentica est defini-
ta. Cum autem non sine ratione con-
jicere liceat, tale exemplum vix allegari posse in
terminis, ut vulgo loquuntur, terminanti-
bus: hinc, cessante adhuc interpretatione
authentica, operæ pretium erit investigare:
quinam sit verus laudatæ Observantiæ §. II.
exhibitæ sensus? qua facta interpretatione
facile etiam de controversiis & quæstioni-
bus eo pertinentibus pronunciari poterit.

§. VI.

Ante omnia igitur genuinus sensus illi-
us Observantiæ, seu ut clarius dicitur, Re-
cessus, eruendus est: de quo ut constet,
probe considerandum, quam Serenissimus
Dominus directus ac Legislator mentem
in ferenda illa lege habuerit vel habere
debuerit ac potuerit: ex quo deinceps
sua sponte fluet, quo sensu accipienda
fit laudata Observantia. Et primo qui-
dem certum est, quod Serenissimus Le-
gislator & Dominus directus, quando ali-
cui ob benemerita impertit expectativam,
hæc utique ita dari soleat, ut ejusmodi
Feudum, omnibus etiam filiis ex primo ac-
quirente natis acquiratur. i) Id quod etiam
in

i) I. F. 9, verb. investito vel heredi ejus, MATTH.
DE

in dicto Recessu ipsa Legislatoris verba indicant: *Wenn sich die Eröffnung bey des ersten Acquirenten oder Expectivirten oder dessen Söhne &c.* Adde §. IV. h.

§. VII.

Deinde speciatim ex d. Recessu constat, quod Serenissimo Domino directo expectativam sic limitari placuerit, ut non aliter effectus se exferat, quam si apertura Feudi vivente adhuc vel primo acquirente seu expectante, vel viventibus ejus filiis contingat, quod si vero Feudum mortuo acquirente, vel mortuis ejusdem filiis fiat apertum, promissio Feudi effectu careat, id est, filiorum liberi, primi expectantis nepotes in tali casu Feudum apertum a Domino directo petere nequeant. Clarissima sunt dicti Recessus verba: *wann sich die Eröffnung des Lehn-Stücks oder Gutes, darauf jemand Expectiviret, bey des ersten Acquirenten oder Expectivirten oder dessen Söhne Le-*
ben

DE AFFLICTIS n. 27. 28. in d. I. F. 9. CARPZ. P. 2. c. 25. d. 9. Nam regulariter omne Jus ex conventionem proveniens, quod competebar defuncto, re vel spe transit ad heredes. MATH. DE AFFLICTIS d. l. n. 27. in fine. Atque hoc obtinet, etiamsi hæredum in promissione non fiat mentio, modo non adfit expressa ad certam personam restrictio. arg. L. 1. §. 8. ff. de pact. L. 13. & ult. C. de contrahend. stip.

ben nicht begiebet, alsdenn solche Expectan-
tzen weiter nicht gültig seyn sollen.

§. VIII.

Porro apertura Feudi, quando neque vivo adhuc primo expectante, neque vivis ejusdem filiis contingit, tum itidem clara sunt Recessus verba, quod expectantia sit extincta et liberorum filii, primi expectantis nepotes haud admittantur. Haecenus igitur res omnis perspicua est & liquida, nam ea, quæ adduximus, disertis verbis in d. lege Feudali seu Recessu expressa sunt. Vti vero semper aliquo modo obscura est voluntas tacita; ita & hoc loco consuetaria ex propositionibus expressis eruenda atque decisiones ex iis petendæ k) aliqua difficultate, si revera non laborant, tamen primo intuitu laborare videntur.

§. IX.

Quæritur ergo quid obtineat, quod ad nepotes primi expectantis, si eorum pater quidem diem obiit, sed tamen avus, primus expectans, eo tempore, quo Feudum

B

aperie-

k) Quod interpretationis fundamentum vulgo dicitur *locus Conjunctorum*, ubi voluntas ex voluntate jam exposita declaratur. vid. PVEEN-
DORF de O. H. & C. L. I. c. 17. §. 7. ibique
TITII Observ. 424. p. m. 438. seq.

aperiebatur, vixit, atque sic primus expectans jus petendi Feudum apertum habuit, aut isto Feudo jam investitus est, postea vero aut etiam ante investituram, decessit? Succedunt nepotes in Feudo, sive soli sint, sive cum patruis suis, primi acquirentis filiis, concurrant. Nam lex illa Feudalis verbis: *wenn sich die Eröffnung — — bey des ersten Acquirenten oder Expectantien oder dessen Söhne Leben nicht begiebet, alsdenn solche Expectantien weiter nicht gültig seyn sollen*, restrinxit quidem casum aperturæ Feudi & inde contingentem illius acquisitionem ad expectantis & ejus filiorum vitam, haud vero, Feudo semel ab iis acquisito, successionem ad primi acquirentis filios, ut licet Feudum semel acquisitum sit ab expectante ejusque filiis, tamen illis post acquisitionem mortuis horum liberi, primi acquirentis nepotes, a successionem arceantur, ac in sola expectantis filiorumque persona Feudorum acquisitiones subsistant. In summa, apertura Feudi eo tempore, cum adhuc vel primus expectans vel ejus filius inter vivos esset, facta, Feudoque sic ab illis acquisito, liberi filiorum, primi acquirentis nepotes, omnino secundum consuetum succedendi ordinem deinceps etiam mortuis parentibus succedunt. Certissima est hæc interpretatio; nam si primi acquirent-

rentis nepotibus successio in jus petendi Feudum promissum denegatur in casu apertura non contingentis vivente eo, cui facta promissio, aut ejus filiorum: sequitur vi contrariorum, ut jus in feudum expectativa promissum, iis datum sit, in casu apertura, quæ viventibus adhuc primo acquirente, aut ejusdem filiis contingit.

§. X.

Nunc pone casum mortis inversum, ubi ante aperturam Feudi mortuus est primus expectans, filiis autem fortuna favit, ut iis adhuc viventibus Feudum fieret apertum, sed post aperturam illi moriantur: quis dubitabit in Feudo succedere illorum liberos. Nam eadem hic ratio subest, quæ in casu præcedenti, scilicet, firma est expectantia transitque in primi expectantis filiorum liberos, quoniam conditio, quæ vi dicti Recessus supponitur, extitit: *apertum est Feudum, cum viveret primi acquirentis filius.*

§. XI.

Ita se res habet, quod ad successionem nepotum primi acquirentis, quando post illius mortem vel nepotes soli adsunt, vel unus aut plures filii adsunt cum liberis, nec, si plures sunt filii, unus ex filiis ante aper-

turam Feudi moriatur. Quodsi vero Feudum aperiatur non ætate primi acquirentis seu expectantis, sed altero ejus filio vivente, altero, qui reliquit liberos, mortuo, tum quæritur, an sufficiat tempore aperturae unum adesse filium, eum ad effectum, ut prædefuncti fratris filii repræsentent patrem suum, partemque Feudi accipiant, quam ipse accepisset, si tempore aperturae inter vivos extitisset. Neganda est quæstio. Nam illorum pater ante aperturae Feudi morte præventus nondum jus præsens & efficax ad Feudum acquirendum habuit, ¹⁾ hinc neque in liberos suos aliquid juris transmittere potuit. Aliud dicendum, si vivente illorum patre Feudum est acquiritum, licet ipse mortuus sit ante investituram: tum enim ex regula juris feudalis communis, v. §. III. h. cum patris defuncti fratre jure repræsentationis illi succedunt.

§. XII.

Quodsi Legislatoris alia, quam exposuimus, sententia fuisset, eam omnino debuis-

¹⁾ Nam ex regula dicti Recessus non sufficit spes sola, sed requiritur, ut vivente eo, qui expectantiam impetravit, Feudum aperiatur atque sic vel expectanti vel filio ejus iidem adhuc viventi jus petendi Feudum acquiratur: quod in eo, quem hic posuimus, casu factum non esse diximus.

buisset exprimere disertis verbis: *m*) quod cum factum non est, recte ex iis, quæ expressa sunt, ea quæ non sunt expressa tacite tamen infunt, elicimus, & quæ a Legislatore lege speciali non definita, ex Jure communi decidimus.

§. XIII.

Substratis hisce fundamentis ad quæstiones §. I. positas respondemus. Liceat illas repetere. *Primo* quærebatur, an ex regula Recessus §. II. allegati, Feudum post mortem acquirentis, qui expectativam impetaverat, apertum, acquirant primi expectantis filius & ex altero ante mortui nepos simul, an vero filius solus excluso illo nepote? Respondeo: si post fata patris apertum est Feudum, tum hujus filius avi, primi expectantis, nepos ad successionem non ad-

B 3 mit-

m) Nam uti pactio, ita lex etiam contra illum interpretanda est, in cujus potestate fuit, legem apertius dicere v. l. 39. ff. de pact. l. 172. ff. de Reg. Jur. Certe Imperans Jura singularia constituisse censetur, salva, quantum fieri potest, juris communis auctoritate. Et quicquid lege speciali definitum non est aut abrogatum, ex jure communi omnino decidendum est. Imo nunquam alius plane generis leges, si in communem usum receptæ sunt, in subsidium vocantur. Quale exemplum occurrit in tutela vel cura feudali, uti pleraque legibus feudalibus non definita ex legibus allodialibus ac præcipue Jure Romano desumuntur.

mittitur, ob ea quæ diximus §. XI. h. nam feudum, cum pater viveret, non fuit apertum, hinc neque vi dicti Recessus jus ali- quod ipsi natum: ex quo consequitur, quod pater, qui jus nullum habuit, nul- lum in liberos suos transmittere potuerit. Secus esset, si licet mortuo avo primo ex- pectante, pater nepotis ad Feudi apertu- ram spiritum duxisset: tum enim et ipse jus personale perendi feudum habuisset & in liberos suos transmittere potuisset, *Aliera*, quæ adferebatur quæstio, erat hæc: An si primo expectanti apertum est feudum, filius istud ad se suo tempore devolutum, post mortem in suos deinceps filios trans- mittat? Affirmanda est quæstio, per ea quæ dixi §. IX. et X. h. Nam usque ad tempus apertura pervixit avus, pervixit et- jam filius, atque sic impleta est conditio ad quam dictus Recessus expectativam ejusque effectum restrinxerat Legislator. Restrinxerat vero *casum apertura & acquisitionem* feudi ad vitam primi expectantis & filiorum, non restrinxerat feudo ab avo vel patre se- mel quæsito liberorum nepotumque succes- sionem. Idem ob eandem rationem obti- net, si ante apertura feudi mortuus qui- dem est avus nepotum, tempore apertura tamen adhuc vixit illorum pater, avi, pri- mi expectantis filius.

§. XIV.

§. XIV.

Cæterum uti leges; quæ successionem ab intestato ordinant, non obstant, quo minus privatorum pacta illis abrogare queant: ita Leges Feudales non prohibent pacta, quæ liberorum aliorumque successionem aliter definiunt. Speciale talismodi pactorum exemplum est pactum de *Jure Primogeniture*. n) Quod si introductum est in aliqua familia confirmatumque ab Imperante: tum primogenitus ejusque descendentes secundum lineæ ac nativitatæ prærogativam soli admittuntur ad Feudum expectativa promissum, licet in ipso primogenituræ pacto nulla feudorum expectativa olim acquirendorum facta sit mentio, sed de bonis tantum feudalibus, quæ tempore illius pacti possidentur, sermo sit. Nam ex mente illius, qui Jus Primogenituræ sua in familia introduxit & familiæ, quæ in hoc consensit, reliqui ejus filii omnes certis jam Territoriis vel Feudis donati, iisdemque tanquam appanagio, o) vi pacti & introducti Juris Primogenituræ contenti sunt.

§. XV.

- n) Quod est Jus, vi cujus ex æqualibus primogenitus solus succedit ac cum tota sua progenie postgenitis successione singulari præfertur.
- o) Est vero appanagium certa aliqua pecuniæ vel aliorum reddituum, terrarum, feudorum, prædiorum portio, a primogenito postgenitis præstanda.

§. XV.

Si vel maxime etiam expectantia diu ante introductum Jus Primogenituræ data, postea vero pactum de Jure Primogenituræ sit initum: tamen filii secundo loco geniti cæterique expectativæ renunciassentur. Hac enim, uti jam diximus, Juris Primogenituræ vis atque indoles est, ut suo secundo geniti appanagio contenti esse debeant velintque. Ex quo amplius consequitur, ut quicquid novarum fortunarum accessionumque familiæ obtingit, istud eodem jure ad eam pertineat, quo jure pertinere debet, postquam Jus Primogenituræ in illa stabilitum est. Hinc incrementis post accedentibus fruitur primogenitus, cæteri satis habent, sibi datum esse appanagium, donec ad se quoque prærogativa & cum hoc fructus novarum accessionum ad possessorem primogenitum hætenus pertinentium, suo tempore atque ordine perveniant. Brevitate temporis plura hac de re in præsentia commentari non licet. Alia, si Deo placuerit, alia occasione dabuntur.

standa. ut honeste statuique suo convenienter se sustentare queant. Qua de re pluribus egerunt Autores proprii, v. BERGER. de Jur. appanag. SPRENGER. de Appanag. & Parag. LYSER. de appanag. add. SCHILTER. HERT. & THOMAS. de Paragio dissert.



Marburg, Drss., 1736-37

ULB Halle 3
005 359 791



1018



F. O. num. 15.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,

DE

SUCCESSIONE

IN

FEVDVM APERTVM
EXPECTANTIA PROMISSVM.

QVAM

SVMMO FAVENTE NUMINE

SVB AVSPICIIS

ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. FRIDERICI,

HASSIAE LANDGRAVII, RELIQ.

AUCTORITATE & DECRETO

INCLVTI JURISCONSVLTORVM ORDINIS

IN ILLVSTRI VNIVERSITATE MARBVRGENSI

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN VTROQVE IURE HONORIBVS ET PRI-
VILEGIIS RITE OBTINENDIS

MAGNIFICI SENATVS ACADEMICI

EXAMINI PVBLICO

AD DIEM XXVII. FEBRVAR. A. MDCCCXXXVI.

SVMITTIT

M. THEODORVS BERGER,

LAVTERA - FRANCVS,

DESIGNATVS P. P. O. JVR. ET HISTOR. IN GYMNAS.
ACADEM. COBVRGENSI.

MARBVRGI CATTORVM, APVD PHIL. CASIMIR. MÜLLERVM.

